

berichtigten Text. Beigegeben ist eine deutsche Uebersetzung, die namentlich Anfängern das schwierige Studium der mittelalterlichen Musiktheorie erleichtern dürfte. Ein näheres Eingehen auf den Inhalt erlaubt mir übrigens weder der Raum dieser Zeitschrift, noch meine beschränkte Kenntniss des Gegenstandes selbst. Meine Absicht war nur auf diese Publication vorläufig aufmerksam zu machen und sie als einen Beitrag auch zur Geschichte des Benedictinerordens willkommen zu heissen.

(Wird fortgesetzt).

Correspondenzen des Königs und Kaisers Ferdinand I

in kirchlichen Angelegenheiten aus der Zeit von 1546—1559.

Mitgetheilt von Sebastian Brunner.

Es folgen hier Aktenstücke bezüglich der Kirchenregierung, welche der Herausgeber im k. k. Haus-, Hof- und Staats-Archive vorgefunden hat.

Für die Kirchen- sowie für die Weltgeschichte werden sich darin manche Begebenheiten vorfinden, welche auf die Ereignisse damaliger Zeit von nicht geringem Einflusse gewesen sind. Vorliegende Aktenstücke hat der Herausgeber vor 12 Jahren gefunden, als er über die kirchlichen Ereignisse während der Zeit des Concils in Trient — vorzüglich bezüglich Oesterreichs eine Schrift abfassen wollte. Er wurde aber in seinem Vorhaben verhindert, weil ihm gerathen worden war die Augen zu schonen, ein Rath, dem eben durch das Nachsuchen in Archiven am entschiedensten entgegen gehandelt worden wäre. So mögen nun diese Fragmente der Oeffentlichkeit übergeben werden.

Die Gegenstände, welche diese Correspondenzen behandeln, sind als Inhalt über jedem dieser Aktenstücke zur Orientirung für den Leser ersichtlich.

I. König Ferdinand I ersucht den Cardinal Madruz von Trient, den Papst um die Ausrüstung einer Donau-Flotille gegen die Türken anzusuchen, da seine eigenen Mittel dazu nicht ausreichen.

Cardinali Tridentinó.

Ferdinandus etc. Reverendissimo etc.!

Cognovimus ex litteris Reverendissimae Dominationis Vestrae, quas proxime ad nos dedit, se ad Urbem a Sanctitate Summi Pontificis sub festum Trium Regum perbenigne accersitam esse, atque impense cupere, se quibuscumque in rebus ipsa posset nobis utilem et promptam operam isthic navare, quorum alterum nimirum quod ad Sanctitatem suam profectura sit, sane perlubenti animo audimus, alterum in eam plane partem accipimus, quae optima et gratissimae voluntatis nostrae propria sibi que debita est, et licet Reverendissima Dominatio Vestra (quod tamen pro singulari in nos studio benevolentiaque sua facere nequaquam potuit) distulisset nos de hac ipsa profectione certiores reddere nosque voluntatis istius suae commonefacere, nihilominus quae nostra in illam vicissim voluntas est et iam olim confirmata certa que fiducia, cum primum nobis etiam aliunde innotuisset Reverendissimam Dominationem Vestram se ad eam profectionem accingere, ultro ipsam appellare et operam suam in re tam ardua de qua iam dicemus efflagitare haudquaquam obmissemus: res autem eiusmodi est, intellexit sine dubio Reverendissima Dominatio Vestra, id quod nos non tam pro explorato, quam pro certissime cognito et comperto habemus, Turcarum Tyrannum, in hunc ineuntem annum, ut validissimam expeditionem adversus Regna et provintias nostras faciat, in continuis maximisque apparatibus versari, quamobrem facile iudicat eam nobis necessitatem et id oneris incumbere, si una cum Regnis Provintiisque nostris quae ceu propugnacula et extrema munimenta sunt Christianarum partium salvi esse cupimus, ut ad sustinendam totam belli molem, et tam atrocem vim omnium potentissimi hostis reprimendam dies noctesque nos instructos reddamus et undecumque auxilia atque suppelias comparare nitamur, quandoquidem propter diutissimos plurimos maximosque bellorum sumptus nos, Regna provintiaeque nostrae ita exhausti iam sumus, ut privatae vires et opes sine Sanctissimi Domini nostri, sine Caesareae Maiestatis et aliorum Christianorum Regum et Principum magnis praesidiis longe imbecilliores sint futurae, quam ut illas fidere, easque tanto hosti opponere quoquo modo audeamus, tanta itaque imminentis periculi magnitudine et virium nostrarum infirmitate pressi cum incredibili nobis studio et curae sit, ut negotium oblati subsidii et apud praefatam Caesaream Maiestatem et Principes statusque Imperii ad optatum finem effectumque perducamus sicuti certe nihil ambigimus, imo in certissimam spem venimus negotium illud per Maiestatem suam Caesaream

simul et Status Imperii minime staturum, equidem nobis firmiter persuasimus itidem et Summi Pontificis opes et auxilia si petierimus huic adeo salutari operi prosequendo explicandoque cum pro sua erga nos paterna charitate, tum totius Reipublicae Christianae cui praesidet summo bono non esse defutura, sed ita potius ipsum et muneris sui longe amplissimi ac maximi, et pietatis suae erga nos de summa rerum nostrarum omnium et Christiani orbis solliciti rationem habiturum, ut in extremis hisce malis impendentibus nos praecipuam spem in Sanctitatis suae praesidium et opem collocare posse reipsa sentiamus, sicut et antea aliquocies experti sumus, eoque nomine Sanctitati suae quovis obligationis genere nos obstrictos agnoscimus et profitemur. Caeterum quia neminem praeter Reverendissimam Dominationem Vestram scimus praesertimque iam protectionis istius suae occasione, qui magis in hanc curam impetrandi a Sanctitate sua subsidij aut velit incumbere, aut efficacius rem possit conficere, Eandem Reverendissimam Dominationem Vestram enixe ac maiorem in modum rogandam duximus, ut hanc provinciam nostra Regnorumque et provinciarum nostrarum imo universae Reipublicae Christianae causa suscipiat nostrumque apud Sanctitatem suam ad litteras nostras credentias quae cum his erunt sollicitatorem et procuratorem agat et expositis apto diligentique sermone quae supra attigimus, quaeque inter agendum congrua et idonea sibi videbuntur, oret, moneat, instet, urgeat, ut quam amplissimum obtineri potest subsidium iuvandae expeditionis nostrae a Sanctitate sua consequatur, quo quidem nullum aequè necessarium ad frangendos conatus hostiles atque impetus praestari posset, quam si classe valida sumptibus Sanctitatis suae instructa Danubius hosti intercluderetur, etenim neque in viribus neque in opibus nostris est, praeter tot latissimorum confiniorum defensionem, classem insuper alere, hostemque terra pariter ac flumine prohibere, quare contendat Reverendissima Dominatio Vestra omnibus praecibus, ut Sanctitas sua alendae conservandaeque classis partes subeat, sumptusque quos ad summum impetrare Reverendissima Dominatio Vestra studebit suppeditet, sicut extreme nobis laborantibus succurrat, ne oneri cui soli ferendo non sumus, pares cum totius orbis Christiani ruina succumbamus. Ac ut classis eiusmodi commodius ali queat, neve Sanctitas sua opinetur eam pecuniam eosve sumptus aliorum forte nos velle impendere, poterit Sanctitas sua homines suos erogandae pecuniae praeficere, qui coram inspiciant quibus stipendia dentur, et in quos usus illa convertatur. Nos vero palam omnibus faciemus cum praeclara Sanctitatis suae laude et eximiae liberalitatis testificatione, hanc classem eiusdem Sanctitatis suae impendio ali et conversari, atque ita etiam splendide ornatam, et omnibus armamentis instructam reddi curabimus, ut inde ingens decus et honor Sanctitati suae sit accessurus. Ad haec haud paulo minore sumptu quam si in partibus illis

remotioribus a Sanctitate sua milites conscriberentur nobisque subsidio mitterentur si conscribendi mittendique tempus aestimetur, classis armari instruique poterit hominibus praesertim ad rem nauticam idoneis, hic in propinquis locis existentibus quos ob id serius magno et sumptus et temporis lucro conducere licebit, quae quidem omnia Sanctitati suae opportuna persuasione Reverendissimam Dominationem Vestram explicare, et omni conatu industriaeque efficere cupimus, ut quanto fieri potest maximum subsidium, pro alenda classe impetretur atque illud ipsum sub primum diem proximi mensis Maij ad summum praestetur. Et si semel atque iterum res quantumvis diligenter tentata non successerit neque certus consensus elici posset, pergat nihilo secius Reverendissima Dominatio Vestra urgere et replicatione accurata insistere, donec ad id quod volumus Sanctitatem suam induxerit, in quo sane ipsa Sanctitas sua factura est rem se augustissimaque Celsitudine sua dignam, omnium bonorum votis approbandam et perpetuo extollendam, nosque ipsos una cum Regnis provincijs et fortunio nostris omnibus alioqui devinctissimos longe multoque devinctiores reddet, tum vero a Deo immortali maxima praemia consequetur. Caeterum Reverendissima Dominatio Vestra nullum in nos et Rempublicam Christianam luculentius et illustrius beneficium cōferre hac re poterit, quae bene valeat et de nostro reciproco bene de se merendi studio nihil non sibi polliceatur.

II. Ferdinand trägt dem Cardinal Madruz auf, die Uebersendung der vom Papste versprochenen Hilfsgelder gegen die Türken zu urgiren, die Einsetzung eines Bischofs für die böhmischen Katholiken und Utraquisten zu Prag zu betreiben, den er selbst reichlich zu dotiren verspricht; Madruz möge den Cardinal Farnese um seine Verwendung beim heiligen Stuhle bitten und ihm (Ferdinand) bald von seinen Erfolgen Nachricht geben.

Ferdinandus Divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. Rex semper Augustus etc.

Instructio de iis rebus, quas Reverendissimus in Christo pater Dominus Christophorus tituli Sancti Caesarei in Palatio Presbyter Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, Episcopus Tridentinus, et Administrator Brixinensis, Princeps Consiliarius et Amicus noster charissimus apud Sanctissimum Dominum Nostrum nomine et vice nostra summa qua potest diligentia debitaque reverentia agere et tractare debet.

Inprimis Reverendissimus Dominus Cardinalis Tridentinus post exosculatos pedes Sanctitatis suae, et redditis ea qua decet et novit reverentia, Litteris nostris Credititijs, summa qua fieri potest diligentia Sanctitati suae filialis observantiae nostrae continuum incrementum humiliter commendare studebit.

Deinde ea omnia quae a Caesarea et Catholica regia Majestate fratre et Domino nostro charissimo apud Sanctitatem suam

agenda et sollicitanda habet in mandatis, nostro quoque nomine agat, sollicitet et promoveat.

Porro autem Sanctitati suae significet nos non dubitare, quin Sanctitas sua in memoria habeat, quae nos apud eandem ratione necessarij subsidij alicuius pro muniendis et fortificandis aliquot locis finitimis adversus potentissimi et immanissimi hostis Turcae impetum et irruptionem in regna et provintias nostras tum nuntijs tum litteris diligenter et saepe egerimus, quaeque ab eadem Sanctitate sua nobis responsa fuerint, ac licet quidem Sanctitas sua pro sua paterna erga nos benevolentia et in rem Christianam pietate eiusque conservandae studio superiore anno nobis promiserit, se vel per Nuntium suum ad Curiam nostram mittendum, vel aliam ad id deputandam personam aliquam notabilem summam pecuniarum (ad viginti millia coronatorum ad minus aestimatam), pro subsidio fortificationis Civitatis nostrae Viennensis aliorumque finitimum locorum brevi transmittenda et ad nos perferenda curare velle, nos tamen huiusmodi subsidium pecuniarium in hodiernum usque diem non acceperimus, quamvis multoties apud Sanctitatem suam pro eo institerimus. Cum autem nedum regnorum Dominiorum et provintiarum nostrarum, verumetiam totius Christianitatis defendenda urgentissima inevitabilisque necessitas postulet, ut dicta nostra Civitas Viennensis, Comaromum, Jaurinum, aliaque loca ijs quae a Turcis occupantur finitima, primo quoque tempore, inceptis iam necessarijs propugnaculis et structuris communiatur; nos vero plurimis gravissimisque impensis, quas iam multos annos sustinuimus, et adhuc pro defensione eorundem regnorum, dominiorum et provintiarum nostrarum adeoque pro beneficio totius reipublicae christianae sustinere cogimur, nec non maximis inopinatisque illis sumptibus, quos ad reprimendam Joannis Friderici quondam Saxoniae Ducis et Sacri Imperij Electoris suorumque complicum rebellionem superiore anno fecimus, regium nostrum aerarium regnaque et provintias nostras ita exhauserimus, ut nobis impossibile sit memoratas fortificationes et munitiones sine aliorum potentatum praesertim autem Sanctitatis suae tanquam supremi Christianitatis capitis subsidio et contributione perficere. Neminem autem dubitare debere ad coercendos reprimendosque communis Christianitatis perpetuj hostis Turcae conatus, nihil aptius commodiusque esse Civitatibus et locis finitimis bene fortificatis et munitis; intelligens enim callidissimus inimicus se quantumvis numero suo exercitu per hujusmodi fortificata loca, aut omnino impeditum iri, aut eadem loca multo suorum sanguine, gravissimisque impensis ac longo tempore obsideri oportere, et vix demum expugnari posse, ab eorundem invasione et oppugnatione eo magis deterrebitur. Et in casu necessitatis minore militum numero magnoque christianitatis commodo loca bene munita defendi conservarique poterunt, Donec paratis maioribus Christia-

norum copijs, ipse Turca aut prelio vincatur, aut hieme super veniente turpiter retrocedere cogatur. Idcirco cum Sanctitas sua aperte intelligat, quantum commodi et utilitatis structuræ et communitiones locorum finitimorum adversus potentissimum istum hostem in se habeant, Nos Sanctitatem suam summo quo possumus studio orare et obsecrare, ut Sanctitas sua attentis prædictis urgentissimis necessariisque causis dictum auxilium pecuniarium a se dudum pie et paterne promissum, et pro paterno suo amore, quem erga nos regna et provinciæ nostras, totamque Christianitatem cui divina providentia præsidet, indesinenter gerit, citra omnem ulteriorem moram præstare et transmittere dignetur, ut illud præsentem aliquo Sanctitatis suæ hominem in dictorum locorum fortificationem converti possit, Cupere enim nos aliquem a Sanctitate sua deputari, qui opus quod Sanctitatis suæ pecunia constitueretur, videat, suæque Sanctitatis armorum insignia eidem operi in memoriam pietatis et liberalitatis suæ affigi faciat, adeoque certo renunciare possit, decretum Sanctitatis suæ subsidium, non in alium quam prædictum pium et necessarium usum expositum et conversum esse.

His et alijs validis rationibus, quæ inter agendum commodæ et idoneæ esse videbuntur, Reverendissimus Dominus Cardinalis Tridentinus apud Sanctitatem suam agere tractare instare et pro ea confidentia quam in Dominatione sua Reverendissima et illius erga nos amore et benevolentia permagnam sane habemus, summo quo poterit studio efficere velit, ut Sanctitas sua iustissimæ petitioni nostræ benignum assensum præbeat, vel potius pijsissimam Sanctitatis suæ promissionem iam tandem ad effectum deducere dignetur.

Tertio Reverendissimus Dominus Cardinalis Sanctitatem suam nostro nomine reverenter et diligenter informet, ab aliquot iam annis, quibus Bohemi Episcopum nullum in regno habuerunt, et ij qui sub utraque specie Venerabili altaris sacramento communicant, suos ad suscipiendum sacros ordines Venetias mittere coacti fuerunt, usu et experientia compertum esse, quod paucissimi eorum per tot viarum discrimina ad tam longinquas regiones suscipiendorum sacrorum ordinum causa proficisci voluerunt. Unde consequutum sit, quod deficientibus rite ordinatis sacerdotibus, populus audiendi verbi Dei cupidus, alijs quibusdam laicis docendi verbi Divini munus sibi (licet indigne) sumentibus aures præbuerit, cecusque cecos suos duces aliunde quam per ostium in ovile Christi se ingerentes, sequendo, abominabiles multas et varias hæreses amplexus sit, fierique non posse ut eiectionis hujusmodi erroribus ad cor redeat, nisi eidem de Episcopo aut Archiepiscopo provideatur, qui a Sancta Sede Apostolica non solum catholicis, sed iis quoque qui sub utraque specie commu-

nicant suos sacerdotes, de Sanctitatis suae et Sedis apostolicae benignitate et dispensatione canonice ordinet; proinde ipsosmet status et ordines regni nostri Bohemiae a nobis humiliter postulasse, ut a Sanctitate sua obtinere dignemur, aliquem in dicto regno creari et esse Episcopum qui tam ijs qui sub altera quam alijs qui sub utraque spetie venerabile altaris sacramentum percipiunt, suos sacerdotes ordinet, ea ratione futurum sperantes, ut multi qui ordinum suscipiendorum gratia extra regnum proficisci gravantur, ab Episcopo in ipso regno existente humiliter ordines suscepiantur sint adeoque crescente clericorum numero facilius et commodius nos aliarum sectarum et errorum doctores una cum erroribus et haeresibus eorundem exterminare posse. Quemadmodum bonae memoriae Wladislai regis soceri et antecessoris nostri constitutio nuper a nobis renovata nullos in regno tolerandos esse decernit, qui non sub Sanctae Romanae Ecclesiae obedientia vel eorum qui sacramento altaris sub utraque spetie communicant statutis vivat. Nos itaque nostras tanquam christiani et catholici Principis partes esse existimantes cum subditorum paci et tranquillitati, tum etiam (quatenus id per nos fieri potest) eorundem animarum saluti consulere, consyderantes etiam eos qui sub utraque spetie communicant Bohemos a Sanctitate sua et eiusdem antecessoribus et ista Sancta sede apostolica multos iam annos toleratos, certosque Episcopos Venetiis et alibi constitutos fuisse, qui de Sanctae Sedis apostolicae benignitate et dispensatione dictorum Bohemorum sub utraque communicantium ordinandos susceperunt, et eos ad sacros etiam presbyteratus ordines admiserunt, bonam in spem venimus, dictorum subditorum nostrorum petitioni animarumque saluti ita valde consuli posse, si de Sanctitatis suae paterno consensu Nos Archiepiscopalem Ecclesiam nostram Pragensem tot et tantis annuis redditibus dotaremus, ut Archiepiscopus pro tempore futurus congruam et competentem suam sustentationem inde habere posset, et sua Sanctitas eandem sedem Archiepiscopalem rursus erigeret, eidemque ad nominationem et praesentationem nostram et haeredum ac successorum nostrorum pro tempore existentium regum Bohemiae per Sedem apostolicam de pastore et Archiepiscopo provideretur, qui quidem pro tempore existens Archiepiscopus de Sedis apostolicae benignitate et dispensatione, non solum eos, qui sub omnimoda sanctae Romanae Ecclesiae obedientia essent, verum etiam eos regni nostri Bohemiae aliarumque eidem subiectarum provinciarum subditos, qui sub utraque spetie Venerabili altaris sacramento participant alias habiles et idoneos, ante omnia autem compactatorum regni observatores ad sacros ordines admittere eosdemque ordinare valeat. Quae quidem res cum ad extirpandas alias varias abominabiles sectas in dicto regno nostro valde commoda et necessaria videatur, et per hanc viam eorum quoque

qui sub utraque spetie communicant sacerdotes ad compactatorum regni observationem reducerentur, qui alias aut ad Lutheri errores aut etiam ad Zuinglij ipsorumve anabaptistarum abominabiles haereses propius quam ad Sanctae Romanae Ecclesiae doctrinam ipsaque regni nostri Bohemiae compactata accedunt. Ideo nos Sanctitatem suam omni quo possumus studio plurimum orare et obsecrare, ut dictorum subditorum nostrorum animarum paterne misereatur, et cum non videatur ulla alia commodior via esse, qua quam proxime ad usum et consuetudinem Sanctae Romanae Ecclesiae primum reducantur, indeque aliquando se eidem in plenissima obedientia humiliter subijciant, de dicto oportunissimo subventionis remedio clementer et paterne provideat, nobisque ut praedictum est benigne concedat et permittat, ut ad Archiepiscopalem Sedem per nos ut praemittitur prius competenter dotatam personam idoneam in Archiepiscopum promovendam nominare et praesentare possimus, qui deinde tam eorum qui sub una quam illorum qui sub utraque spetie altaris sacramento participant ordinandos admittat, et idoneos canonice ordinet, aliaque quae archiepiscopalis sunt officij, faciat et exequatur, in quo quidem Sanctitas sua rem pastorali suo officio dignam, nobis gratissimam et subditis nostri regni Bohemiae salutarem sit factura, a nobis erga Sanctitatem suam omni filiali nostra observantia reverenter promerendam.

Pari modo velit Reverendissima Dominatio sua apud Reverendissimum Dominum Cardinalem de Farnesio post redditas ei litteras nostras credentias, saluteque verbis nostris dicta, ostensaque benevolentia et amore nostro erga eum, pro sui ingenij bonitate, convenientibus verbis, dictas nostras petitiones exponere et declarare, nos magnam spem et fidutiam in illius erga nos singulari affectu animique propensione collocasse nec dubitare quin Reverendissima Dominatio sua pro sua autoritate, qua apud Sanctissimum Dominum nostrum merito maxima pollet diligenter laboraturam effecturamque, ut iuxta supradictas nostras iustissimas petitiones optata consequamur responsa, Praecipue autem dictum pecuniarium subsidium in tanta rerum nostrarum et Christianitatis necessitate citra moram ulteriorem obtineamus, Idque ut faciat nos Reverendissimam Dominationem suam maiori quo possimus studio et affectu rogemus.

Demum quidquid Reverendissimus Dominus Cardinalis Tridentinus apud Sanctissimum Dominum Nostrum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Farnesium egerit tractarit et perfecerit, de eo nos quamprimum fieri poterit, certiores reddat, in ijs rem nobis gratissimam factururus, omni benevolentia et amicitia nostra regia erga Reverendissimam Dominationem suam compensandam. Datum in nostra et Imperiali Civitate Augustana Die iij Mensis

Novembris, Anno Domini (1547) Millesimo Quingentesimo Quadragesimo septimo. Regnorum nostrorum Romani XVII. aliorum vero XXI.

Instructio ad Summum Pontificem data Cardinali Tridentino, in negotio subsidij contra Thurcas, nec non Archiepiscopatus Pragensis instaurandi,

Expedita Augustae die III. Mensis Novembris Anno 1547.

III. Ferdinand bittet den Cardinal Madruz, beim Conclave für die Wahl eines eifrigen Papstes zu sorgen.

Pragae, 24. Novembris 1549.

Cardinali Tridentino ad Conclave proficiscenti ut operam det, quo in Ecclesiae caput communium Christianitatis commodorum studiosus Pater eligatur.

Ferdinandus etc. Reverendissimo etc.

Redditae sunt nobis Litterae Dominationis Vestrae Reverendissimae, ex quibus libenter admodum intelleximus, Dominationem Vestram Reverendissimam per dispositos equos sese Romam ad electionem novi Pontificis contulisse, id quod benigno animo magnopere approbamus. Caeterum cum in praesentiarum nihil nobis occurrat, de quo Dominatio Vestra Reverendissima admonenda esse videatur, — existimamus enim sacram Caesaream et Catholicam Regiam Maiestatem fratrem et Dominum nostrum charissimum de rebus omnibus huiusmodi electionem novi Pontificis concernentibus satis aliunde providisse — illud tamen Dominationem Vestram Reverendissimam confidenter ac benigne hortari volumus, et sponte quodammodo currentem incitare, quod velit scilicet pro summa sua prudentia rerumque gerendarum dexteritate sedulo laborare, iuvare, eniti, omnesque intendere nervos, ut pro bono et concordia sanctae Catholicae Ecclesiae et universae Reipublicae Christianae eiusmodi caput et Pontifex per Reverendissimum istud Cardinalium Collegium eligatur et sufficiatur, qui vineam Domini (boni fungens agricolae munere) summa fide et vigilantia, atque adeo ex praescripto eius, cuius debet in terris vicem gerere, excolendam suscipiat, et unde Respublica Christiana in hac rerum omnium et temporum perturbatione solatium et auxilium petere atque etiam sentire possit, sicuti Dominationem Vestram Reverendissimam pro officij sui ratione sponte facturam confidimus, quam nimirum ad promovendum ea, quae ex usu Reipublicae Christianae esse videntur, maxime semper propensam fuisse cognovimus, quam recte foeliciterque valere optamus.

Datum Pragae 24. Novembris 1549.

IV. Ferdinand meldet sein Bedauern über die schwere Krankheit des Papstes und trägt dem Cardinal auf, im Falle des Todes desselben sich so bald als möglich nach Rom zur Neuwahl zu begeben.

Cardinali Tridentino.

Ferdinandus etc. Reverendissimo etc.

Accepimus Litteras Dominationis Vestrae Reverendissimae ad manus nostras proprias datas, in quibus nos de gravissima Sanctissimi Domini Nostri infirmitate quam Sanctitas ejus incidit, certiores facit. Eam sane rem uti debuimus non sine magno dolore et molestia intelleximus, tum quod Sanctitas sua hoc supremo suo muneri pastoralis magna cum laude dignitate ac sacrae Catholicae Religionis nostrae utilitate praefuerit, tum quod et nos ipsos una cum universis nostris negocijs quae coram Sanctitate sua et sancta sede Apostolica tractanda habuimus singulari semper favore ac benignitate complecti consueverit. Quare Deum optimum maximum oramus, ut Sanctitatem Suam pristinae rectaeque valetudini restituere, et longa vita ac foelici gubernio donare dignetur. Quod si autem Divina Maiestate in cuius voluntate et nutu omnia consistunt ita disponente Sanctitas sua vi morbi confecta ex hac vita migraret, nobis sane valde utile ac necessarium videretur, quod eo casu Dominatio Vestra Reverendissima caeterique Reverendissimi Domini Cardinales primo quoque tempore sese in aliam urbem ad electionem novi Pontificis conferrent, magni namque refert universae Christianitatis ad conservandam restituendamque in Germania nostram Catholicam et Orthodoxam religionem plurimumque habet momenti, ut ne sedes Apostolica in tanta rerum ac temporum perturbatione et religionis Christianae dissidio debito supremi pastoris solatio diutius destituta maneat. Hortamur autem benevole Dominationem Vestram Reverendissimam, ut nos in posterum etiam quicquid de Sanctitatis eius valetudine ad se perlatum fuerit, omni mora postposita certiores facere velit, et interim etiam sese parare, quo Deo sic volente quam celerrime iter ingredi queat, quoniam hoc ipsum cum hoc quoque Reverendissimo Cardinale Augustense sedulo agemus. Et Dominationem Vestram Reverendissimam cum hijs recte valere optamus.

Datum Augustae Vindelicorum 28. Martij 1555.